

## **Certamen Turicense IV: Ansprache von Peter Stotz**

Carissimi carissimaeque iuvenes, quibus studium Latinae linguae cordi est, velim vos alloqui paucis verbis Latino sermone prolatis, quamvis non fruar illa facundia sublimi qua pollent magistrae vestrae magistrique vestri, philologi classici qui dicuntur, et qui artem bene et ornate dicendi secundum praecepta a Ciceronis orationibus et scriptis philosophicis deducta quam perfectissime didicerunt. Mihi magis in usu est illa Latinitas quae, post imperium Romanum collapsum, per saecula multa, a viris doctis dumtaxat, fovebatur.

Re vera lingua Latina occasui extinctionique imperii Romani non solum supervixit, sed etiam novis viribus effloruit et pleno vigore gavisa est. In saeculis aevi medii, quod dicitur, sed etiam temporibus recentioribus haec lingua in omnibus fere Europae partibus praesto erat. Per tempora longa quicumque volebant scribere aliquid, Latine id facere eis necesse erat, quia idiomata gentium Europae, linguae vernaculares quae dicuntur, nondum eam maturitatem nactae erant, qua idoneae essent ad bene exprimendum ea, quae litteris mandanda erant. Sed adhuc saeculo sexto decimo vel septimo, auctores quibus in pectore erat disserere de rebus doctis, Latina lingua usi sunt, eadem fere ratione qua nostri aetatis scriptores Anglicam linguam usurpant quippe quae maxime idonea sit ad scripta sua divulganda.

Hinc est quod etiam Ioannes Guilielmus Stuckius (alias Johann Wilhelm Stucki) dissertationem suam copiosissimam quae est ‘de antiquitatibus convivialibus’ in lingua Latina absolvit. Quamvis ibi sermo sit (inter alia multa) de usibus et ritibus domesticis, id est Turicensium Helvetiorumve, Latina lingua valde commoda erat – ea lingua, dico, quae adhuc nobis proxima est utriusque respectu: et regionis et temporis.

Sed convenit me nunc nomina victorum victricumque huius certaminis edicere:

Palمام victoriae adipisci dignum duximus domicellum Boris Stolz.

Secundo loco posuimus domicellum Christian Morf.

Tertium locum domicellae Noémi Korondi assignandum esse duximus.

Nunc plaudamus omnes in honorem eorum qui vicerunt. Sed liceat mihi vobis omnibus maximas laudes dicere et gratias agere. Spero vobis placuisse hoc certamen. Dixi.